

<sup>Bon</sup>  
Tractatus ju-  
ris cameralis  
De causarum  
Devolutione  
ad cameram  
imperialem ob  
Senegal...  
justitium









*212* *2* *20110.*  
**TRACTATUS  
JURIS CAMERALIS,  
DE  
CAUSARUM DEVO-  
LUTIONE AD CAMERAM  
IMPERIALEM OB DENEGATAM  
VEL PROTRACTAM A PROXIMO JU-  
DICE JUSTITIAM,**  
*Vorfr.* *de V. F. P. v. Borie*  
*NEC NON* *de*  
**DE  
LITERIS PROMOTO-  
RIALIBUS.**

*S. 103*  
**AD PART. II. TIT. XXVI. ORDINAT.  
CAMER. VETER.**

**PRÆFATIO DE PUNIENDO  
INSUPER JUDICE JUSTITIAM DE-  
NEGANTE, VEL PROTRAHENTE  
DISSERIT.**

*Ko 17619*

**WETZLARIAE,  
Typis NICOLAI LUDOVICI WINCKLERI.  
ANNO MDCCXLV.**





## LECTORI SALUTEM.

**A**usas quidem ex capite denegatae protractæve Justitiæ ad Cameram Imperialem devolvi, tota die videmus: Judices verò inferiores reatûs sui pœnas dedisse, quis meminit? vid. Blum. *Process. Cam. tit. 30. §. 65.* Tantùm abest Leges Germanicas hac ex parte deficere: ut potiùs miserrimos ejusmodi Judices non in una Lege Imperii condignis poenis addictos esse legamus. Nunquid enim Lex clara satis in *Ordinat. Camer. part. 2. tit. 20. §. 4.* indistinctè Fiscalem Cæsareum excitat ad persequendas violationes *Ordinationis Politicæ*, in specie Anno 1548. promulgatæ? quæ ipsa *titulo 32.* ita habet: Wollen wir allen Obrigkeiten hiermit auferlegt, und besohlen haben, . . . bey iheren Richtern zu versügen, daß sie den Partheyen auf ihe Ansuchen jederzeit schleuniges Rechtfest forderlich, und ohnverzüglich verhelfen,

sen, und mittheilen, . . . bei Vermeidung  
ernstlicher und unnachlässlicher Pœn und  
Strafe, vermöge deren Rechten, und  
sonst nach Gestalt und Gelegenheit der Per-  
son und Sachen. Quô ipsô Legislator in  
verbis: *Vermöge der Rechten ic.* ne-  
quidem in pœnis, *jure communi sanctis,*  
acquiescit: sed insimul *atrociores infli-*  
*gendas* pro modo graduve delicti, ibi:  
*Und sonst ic.* Supremis suis Tribunalibus  
reservat! Nunquid porrò in *Recessu Im-*  
*perii Novissimo S. 109.* statutum est:  
Wann sich auch aus denen an bemeldtem  
Unserm Kaiserlichen . . . Cammer-Gericht  
durch *Appellation*, oder sonst eingebrauch-  
ten Rechtsfertigungen . . . *in facto* genug-  
sam verificiren würde, daß aus des Rich-  
ters Ungeschicklichkeit, oder Unerfahrenheit,  
auch Versaumnuß, *Corruption*, oder Bos-  
heit . . . . . das Recht versagt, oder  
verzogen worden wäre; so soll gegen  
der schuldhaften Obrigkeit so wohl, als de-  
ren

ren geordneten Unter-Nichtern, gebührende  
Bestrafung fürgenommen, und durch Un-  
sern Kayserlichen Fiscal zu Einbrin-  
gung solcher Straf, wie sich gebühret,  
verfahren werden. Quibus saluberri-  
mis & in honorem Justitiæ latis Legibus,  
vellemus non accineretur illud vulgatum  
Assessoris Kochii seu Magenhorstii dicte-  
rium: *Quanquam universus mundus con-  
tra agat, tamen Fiscus tacet!* Pœnas de-  
nique 10. vel 3. marcarum aurii, æstima-  
tionis litis, indignationis Cæsareæ, amotio-  
nis ab officio Jure Romano ejusmodi Judi-  
cibus decretas; l. 6. Cod. Theodos. de Jurisd.  
l. 13. §. 8. Cod. Justin. de Judic. Novell. 86.  
Novell. 17. cap. 3. & Ziegler. in Dicast.  
conclus. 23. §. 25. 26. 27. conclus. 24. §. 3.  
enarrant; additò profelicitate temporum  
votò nostrò: ut nullus Judex denegans pro-  
trahens ve Justitiam impunis dimitatur,  
sive causa per Appellationem seu per Recur-  
sum ad Cameram Imperialem devenerit.

A 3

Nullam



**N**Ullum in casu denegatae vel protractae Justitiae, quantumcunque illimitatum de non appellando Privilegium, aut primæ Instantiæ Jus Recursui ad Tribunal Cæsaris obstitit unquam, obstatve etiamnum; Inest enim tam Juribus primarum Instantiarum, quam Privilegiis quibusve hæc vel expressa, vel tacita conditio: ut *tamdiu* saltem valeant *quandiu* querulantibus non fuerit denegata Justitia, vid. *Aur. Bull. cap. II. §. 3.* Hinc, ut in defectu Justitiae (qui æque per protractionem, quam denegationem contingit) omnibus ad Imperiale Curiam, & Tribunal liceat appellare, eadem *Aurea Bulla dicto loco §. 4.* expressè constituit. Licuit ergò de super appellare, licebat non minùs per Recursum simplicem Tribunal Cæsaris adire, hodieque ob denegatam protractamve Justitiam, cæteris paribus, tam per *Appellationis*, quam *simplicis Querela* viam ex part. 2. tit. 26. *Ordinat. Cam.* ad Augustissimum Camerae Judicium, si id proximum sit, causam differre licet. Quod postremum, præsentis Tractatus argumentum esto.

§. I.

§. I.

*Sedes materia est in Ordinat. Cam. 1495. tit. 12.  
1521. tit. 22. 1555. part. 2. tit. 1. §. 2. & part. 2. tit. 26.  
Concept. Ordinat. Cam. part. 2. tit. 1. §. 1. & part. 2.  
tit. 28. Reformat. Polit. 1548. tit. 32. Recess. Visi-  
tat. 1550. §. 20. Recess. Imper. 1566. §. 108. Recess.  
Deputat. 1600. §. 27. Recess. Imper. 1654. §. 109.  
§ 163.*

§. 2.

*In sensu morali quidem non multum abest,  
qui causæ cognitionem differt, ab eo, qui Justitiam  
omnino denegat; uterque enim in officio, deficit,  
hic apertè magis, ille plerumque sub quodam co-  
lore & magis modestè, unde etiam *Jus Romanum*  
eādem utrumque legislatione comprehendit, eā-  
demque prorsus poenarum mensura metitur; *Jure*  
tamen *Camerali*, saltem in ordine ad Processum,  
diversitatem quandam subesse volunt Gailius lib. 1.  
obs. 28. Ziegler. dict. loc. conclus. 24. §. 2. Deckher.  
ad Limbach. *Process. Informat. cap. 1. num. 4. pag. 29.*  
& in *Concord. Suprem. Imper. Tribunal. cap. 10. sect. 2.*  
*num. 16.* Rudinger. *Observat. pract. centur. 2. obs. 19.*  
ubi hic ait: „Denegari Justitiam, quando Litiga-  
tor Judicium adiens, vel Litis progressum perse-  
quens apertè repellitur; protrahi verò per negli-  
gentiam Judicis in cognoscendo, vel exequendo  
commissam.*

§. 3.

## §. 3.

Priori casu Ziegler. & Deckher. inquiunt, illico in Camera Citationem decerni; posteriori autem, vel requisitionis documentum lapso termino legali produci debere, vel Promotoriales à Camera petendos esse: si nempe de causâ instruendâ, id est *Lite incipiendâ*, finiendaque quæstio sit; nam si forte in executione *Sententia* à Judice inferiore jamjam latæ mora committatur, consultiūs *Mandatum de exequendo propriam Sententiam*, quam Promotoriales impetrari constat, vid. Deckher. ad Tennagel. de decernend. *Process. class. 2. cap. 15.* Denique Promotoriales etiam in casu denegata *Justitia* decerni, neque verum esse, neque consultum, nec obtainere, idem in *Concord. Supremor. Tribunal. dict. loc. contra Uffenbachium* monet.

## §. 4.

Jam verò, si *Privilegia de non appellando* apud de Ludolf in *Catalogo Privilegiorum* recensita, vel in ejusdem *Corpore Juris Cameralis* exstantia, vel ab aliis Scriptoribus producta, inspiciantur; primâ statim fronte patebit, casum denegata expressum, tacitè alterum protractæ continere, & vi cissim casum protractæ, complecti illum denegata. Sic in *Diplomate Albertino Anno 1298*. Archiepiscopo Moguntino dato apud Perillustrem Dominum Baro-

Baronem de Gudenus in *Codic. Diplomat.* num. 428.  
 pag. 983. solus casus protractæ exprimitur, in verbis: „Quando Archiepiscopus requisitus in red-  
 denda Justitia negligens fuerit, vel remissus, „ &  
 tamen casus denegatæ quoque subaudit. Pariter  
 apud Schannat. in *Histor. Episcopat. Wormat.* probat. num. 261. unicus casus denegatæ memoratur,  
 sub quo simul ille protractæ intelligitur, add. *Aur. Bull. cap. 11.* Longum verò esset hic singula per-  
 currere. Dein si *Leges Camerales Praxisque* con-  
 sulantur, utut rubrum Tituli, contextusque tam  
 de denegata, quām protracta sonent, Documentum  
 tamen indistinctè vocatur *requisitionis*, & *dene-  
 gationis*, vid. *Ordinat. Cam. part. 2. tit. 26.* ibi: *Re-  
 quisitionem*, & *denegationem* &c. confer. Frider.  
 Mindan. de *Mandatis lib. 2. cap. 53. §. 5.* qui id-  
 circò nullam, vel perquām exiguum differentiam  
 inter denegatam & protractam *Justitiam* esse statuit.

### §. 5.

*Processum* quod attinet, *hac duo:* Wenn das  
 Recht kundlich versagt, oder mit Gefahrde verzo-  
 gen wäre, in ordine ad impetrandam *Citationem*  
 pari passu ambulant, vid. *Ordinat. Cam. 1495. tit. 12.*  
*ibi:* Das Kammer-Gericht soll keine Ladung er-  
 kennen, ... es wäre dann Sache, daß der Suppli-  
 cant vor denen ordentlichen Unter-Gerichtern  
 B Recht

Recht ersucht, und ihm das fundlich versagt,  
oder mit Gefährde verzogen wäre; per con-  
sequens, si ex *Decretis protractoriis*, aut aliunde  
de dolo protrahentis liqueat, æque statim ob dolosè  
*protractam*, quam quidem ob *aperitè denegatam*  
*Justitiam*, *Citatio in Camera decernenda erit*, Blum.  
*hoc tit. num. 6. 7. 8. Lyncker. de Gravam. extraju-  
dicial. cap. 3. part. 2. sect. 1. num. 1. §. 2. num. 3.*  
*Modos verò per requisitionem, & lapsum termini*  
*legalis*, nec non per *Promotoriales effluxumque in*  
*iis præfixum terminum hominis*, demùm *post eam*  
*Legislationem* in omnibus posterioribus Ordinatio-  
nibus approbatam, & quidem solummodo ad *præ-  
sumtivè probandum dolum in vectos*, quis est, qui  
*extenuare ausit ad casum jam prius decisum?* quo  
scilicet de *formali dolo* protrahentis fides probatio-  
que facta est, fierique potest. Econversò: si *Justi-  
tia* quidem *apertè denegata* sit, *gravatus autem ejus*  
*rei* documentum nullum habeat, habereque queat;  
non videmus, quo jure, quave ratione à modis *præ-  
sumtivam probationem denegatæ Justitiæ faciendi*  
excludendus sit, aut ipsi eadem procedendi via in  
casu *denegatæ*, quæ in *protracta Justitia* obtinet,  
*denegari valeat*. Cæterum ultrò largimur, tam in  
casu *denegatæ*, quam *protractæ Executionis*, con-  
sultiūs esse ad *Mandatum de exequendo propriam*  
*Sententiam*, quam ad *Promotoriales confugere*.  
*Quo-*

*Quotiescumque igitur aperta denegatio Justitiae probari nequit, idem prorsus, qui in protractâ obser-vatur, Processus ineundus erit: utpote quem ni-hil aliud, quam probationis difficultas introduxit, ceu ex sequenti Legislationum historiâ manifestum reddetur.*

§. 6.

Postquam nempe Maximilianus I. in *Ordinat.*  
*Cap. de Anno 1495. tit. 12.* sanxisset: Dass das  
 Cammer-Gericht in erster Instanz oder Rechtser-  
 tigung, auf niemands Klag oder Ansuchen, La-  
 dung erkennen oder geben solle, die Königlich-  
 oder Kaiserlicher Majestät und dem Reich nicht  
 ohne Mittel unterworffen seyn, und sonst ihren  
 ordentlichen Richter haben; Es wäre dann Sa-  
 che, dass er vor denselben ordentlichen Unter-Ge-  
 richtern Recht ersuchet, und ihm das kündlich  
 versagt, oder mit Gefahrde verzogen wäre;  
 experientiâ compertum est, Supplicantes *aperta de-*  
*negationis, dolosaque protractionis probatione* sa-  
 pissimè destitui. Interea tamen quarelæ partium  
 non deerant: Dass sie gegen ihre Widertheil an  
 denen ordentlichen Gerichtern nicht Rechtens be-  
 kommen mögen. Consultum itaque Legislatori vi-  
 debatur: Dass in demselben Fall eine Zeit bestim-  
 met, darinnen die Sache angefangen und geendet  
 werden solle. Tandemque annuentibus Statibus

Imperii conclusum est: Dass die Zeit darinnen gesetzt werden solle; immassen der Articul von der Rechtsfertigung gegen Fürsten, und Fürsten-mäßige inhalte; videatur Ordinat. Cam. de Anno 1500. tit. 12. Qui Articulus cum in Ordinat. Cam. de Anno 1495. tit. 26. contineatur: pandendis Judiciis mensem, (id est 30. dies) finienda verò Liti semestre, eoque per decretum prorogato Annum, Jahr und Tag (id est Annum & 6. Septimanas) præfixum esse liquet; Anno scilicet à Die, quo Libellus in Judicio editus est computato, vid. Deckher. Vindic. tit. 27. num. 105. § 107.

## §. 7.

Exceptionem unam addidit Legislator in verbis: Doch solle es in henen minderen Gerichtern, nach ihrer Gewohnheit, Herkommen, und Gebrauch gehalten werden. Quippe prout Germani ab institutis propriis recedere novasque legales formas assumere non solent facile: ac aliundè memorata dispositio solummodò comprehensum in Lege Imperii defectum termini supplere voluerit, mirum non est, adæquate cessante ratione Legis, illa Judicia inferiora excipi, quæ in præfigendo certo termino Legem Imperialem prævenerant.

## §. 8.

## §. 8.

Itaque Legislator ideo certum terminum, intra quem Judices inferiores Judicia pandere Litesque finire deberent, præfixit, ut ex ejus decursu Cameræ de aperta denegatione, dolosave protractione præsumptivè constaret. Porro non solum requisitionem ordinariorum *Judicium*, cum illa, quæ fit super *Austragis*, una regula comprehendit; sed & eodem planè tempore ab ordinario quocunque, ac quidem *Austragli Judice* litem terminari voluit, quæ posterior tamen constitutionis pars, de *Judicio* scilicet intra cursum semestris annique peragendo, in *Ordinat. Cam. 1555. part. 2. tit. 1. §. 2.* iterum omissa est, & forte nunquam ad praxin pervenit. Interim illud immotum remansit principium: quod probata requisitione, lapsoque post eam pandendis *Judiciis* præfixo mense, rectâ *Citatio* super denegata protractave *Justitia* in *Camerâ* decerni possit, ac debet, vid. *Ordinat. Cam. part. 2. tit. 1. §. 2.* ibi: Es wäre dann Sache, daß einer die ordentliche Unter-Gerichte um Recht ersuchet, und ihm darauf in Zeit eines Monath's zu Recht nicht verholßen worden wäre.

## §. 9.

Ast cum denuò hæc ipsa requisitionis probatio novis difficultatibus ex eo implicaretur, quod *Judex inferior* documentum requisitionis aut non conce-

B 3

deret,

deret , aut Notarii male habiti officium requirendi Judicem , Instrumentumque desuper edendi detestarent , sique litigantes , quibus requisitionis probatio deficeret , sine jure esse cogerentur , huic quoque malo novum remedium per Promotoriales ex *Recessu Visitationis de Anno 1550. §. 20.* allatum est , ita , ut non amplius praecepsè exigeretur requisitionis documentum , sed in hoc puncto narratis partis in ordine ad impetrandas Promotoriales credere tur.

## §. 10.

Quamvis enim dictus *sensus* aperte de requisitione super Austrægis loquatur , ibi: Und nachdem den Parthehen , welche die , so hohes Standes , und andere Personen , laut der Ordnung ihnen Rechts zu pflegen ersuchen , von denselbigen Ersuchten keine Antwort erlangen ; auch Notarien nicht bekommen mögen , die von ihrentwegen solche Ersuchung anbringen , und darüber Instrumenta aufrichten , dadurch ferner erfolgt , daß sie nach Verfließung der Zeit , in der Ordnung bestimmt , vor Mangel des *Documents* , oder Beweisung ihres beschœhenen Ersuchens , bey dem Kaiserlichen Cammer-Gericht *Proces* nicht ausspringen mögen ; So ordnen , und setzen wir , daß auf Ansuchen der Parthen , oder ihres *Procuratorum* , Cammer-Richter und Beysitzer gegen derselben Widertheil Pro-

moto-

motorial erkennen sollen, ihnen nach Außweiss der  
Ordnung Rechtens zu pflegen, ohnangesehen daß  
die ersuchende Parthen ihres vorgethanen bey sei-  
nem Gegentheil Ersuchens keinen Schein vor-  
bringen würde, vid. Cisner. ad Ordinat. Camer.  
fol. 347.

§. 11.

Cum tamen anterior Legislatio jamdum ea,  
quæ de requisitione super Austrægis terminoque le-  
gali juri reddendo præfixo disposita erant, univer-  
saliter ad quosvis ordinarios Judices extendisset:  
Assessores considerato Promotorialium fine tam Au-  
strægalibus, quam aliis Judicibus communi per in-  
terpretationem extensivam eâdem Promotorialium  
viâ generaliter contra quosvis inferiores Judices pro-  
cedere non dubitârunt.

§. 12.

Qui stylus mox in legem abiit: *Ordinatio*  
enim *Cameralis de Anno 1555. part. 2. tit. 26. §. 2.*  
eum non solum universaliter approbavit, sed &  
omnem post insinuatas Promotoriales litigantibus  
perperam obtrusam requirendi necessitatem remisit,  
in verbis: Und nachdem sich bisher an dem Kais-  
serlichen Cammer-Gericht zu vielmalen zugetra-  
gen, daß die Parthen Promotoriales, von des-  
wegen, daß ihnen bey Churfürsten, Fürsten, Stän-  
den,

den, und andern Obrigkeit, vermög dieser Ordnung, nicht zu Recht verholßen worden, an gemeldtem Cammer-Gericht erlangt, und auch, wie sich gebühret, verkünden lassen; und sich aber folgends beklagt, daß ihnen nach beschehener Verkündung, in Zeit der Ordnung, nicht allein nicht verholßen, sondern auch die Notarien, in deren Gegenwärtigkeit der Thurfürst, Fürst, oder Stand, Inhalts der Promotorialen, requirirt werden sollen, wider Recht und Billigkeit vergewaltigt und beschwehret worden, daraus dann gefolget, daß die Notarien je zu Zeiten sich zu solcher Requisition nicht mehr gebrauchen wollen lassen, und also die armen Partheyen Requisitionem & Denegationem *Justitiae* nicht beweisen können, und dadurch Rechtlos gestellet werden; (Animadvertis Lector: quod Promotoriales licet à probatione requisitionis antecedentia supplicantem liberaverint, vide supra §. 9. eum tamen novâ requisitione, cum Promotorialium insinuatione, vel post eam, facienda, hujusque probatione oneraverint; praxi sāne infelici originique naturae ac fini Promotorialium contrariā, ideoque à Legislatore rursus abolita, ut statim sequetur:) Damit nun solchem der Billigkeit nach begegnet, auch daneben die armen Partheyen mit überflüssigen Kosten, so ihnen über beschehene Execution solcher neuen Requisition halben ausgehet, nicht beschweh-

schwehret werden, soll hinsürter ein jeder Churfürst, Fürst, Stand, oder Obrigkeit, dem obgemeldter maßen Promotoriales verkündet, und einmal insinuaret werden, in Zeit derselbigen, ohne weitere Requisition oder Esuchen, dem flagenden Theil Rechtens zu verhelffen, den Richter oder Rechts-Tag zu ernennen und anzusezen, und sonst Inhalts und vermög der Promotorialn zu handlen schuldig seyn; und da solches Dergestalt nicht beschähe, soll alßdann dem flagenden Theil an dem Cammer-Gericht, ohngeachtet und ob gleich keine weitere Urkund des geweigerten Rechtens fürbracht würde, zu Recht, wie sich gebühret, verholffen werden.

## §. 13.

Planè sicut Jure Romano in l. 13. §. 8. Cod. de *Judic.* denegatio protractiove Justiciæ ex solo lapsu termini præsumtivè probata videbatur, ita idem Legislatori Germanico & ad eundem effectum sufficere omnino visum est! Ex hac tenus deductis autem fluunt hæ veritates: 1ma. Quod Promotoriales sint remedium subsidiarium in solatium, atque levamen eorum introductum, qui de facta requisitione lapsoque post eam termino legali, aut etiam de apertè denegata, vel dolosè protracta Justiciâ illico docere non possunt. 2da. Quod Promotorialium insinuatio iisque insertus terminus hominis,

C termi-

terminique lapsus *præsumtivè* probet tam apertam denegationem, quām dolosam protractionem, quæ jam uno nomine *des Verweigeren Rechtens*, Legge Camerali compellatur. 3ta. Quod Promotoriales non solūm decernantur sine probatione antecedanæ requisitionis; sed etiam absque ullâ novâ requisitione, illiusve probatione, elapsō termino per Promotoriales statuto, causa ad Cameram devolvatur. 4ta. Quod ubi de Judicio pandendo agitur, *duo modi* sīnt ad Cameram *devolutivi*: Scilicet requisitionis, lapsusque termini legalis menstrui, si ea requisitio probari possit; vel Promotorialium. 5ta. Quod contrà ubi coeptum jam est coram inferiori Jūdiciū, (cum hic nullo amplius termino legali finiendæ Litis constringatur, vid. *suprà* §. 8. è cujus effluxu de apertè denegata, vel dolosè protracta *præsumtivè* liquere possit) vix aliam litiganti patere viam, causam ad Cameram devolvendi, quam per Promotoriales: quibus hoc casu terminus hominis, nach Gestalt und Gelegenheit des Orts und der Sachen rc. inferitur, videatur *Recess. Deputat.* 1600. §. 27. Casum verò unicum, quo Promotorialibus opus non est, jamdum *suprà* §. 5. memoravimus. 6ta. Denique veritas hæc est: Quod meritò incandescendum sit illis, qui Legi sat claræ novum glaucoma ex *Recessu Imperii de Anno 1566.* §. 108. inducere conantur.

§. 14.

## §. 14.

Hi scilicet rursus eò prolabuntur, ut præter Promotoriales documentum requisitionis & denegationis exigant, errore manifesto atque in *Ordinat. Cam. de Anno 1555. part. 2. tit. 26. §. 2.* aper-tissimè damnato. Quo ipso litigantes in easdem omnino difficultates intrudunt, ad quas evadendas Literæ Promotoriales primitus inventæ sunt. Numquid enim ob id ipsum, quod requisitionis documentum sæpe haberi non posset, *Recessus Visitationis de Anno 1550. §. 20.* viam Promotorialium in Judiciis Austrægalibus indulxit? Numquid porro Anteces-sores Cameræ Imperialis eandem ad quosvis infe-riores Judices eādem ex ratione applicaverunt? ita ut ipsarum insinuatio, vi dicta *Ordinationis Came-ralis*, pro nova requisitione sit, indeque Judex su-premus resciat, terminum administrandæ Justitiæ vel à lege, vel certè ab homine præfixum, præter-lapsum esse. Denique an non Lex ita scripta est: ut Promotorialibus in Camera imperatis insinuatissime Judices intra diem dictam non expectata ulteriori requisitione Jus administrent, Judicium diem que statuant, & reliqua, quæ Promotorialibus im-perantur, perficiant, nî fecerint: Actori in Came-ra etiam nullo prolato ulteriori documento negata *Justitia* Jus administretur? videatur *Denais. de Ju-re Camer. tit. 171. §. 4.*

C 2

§. 15.

## §. 15.

Cui non adversatur *Recess. Imper. de An. 1566.*  
 §. 108. ut enim insipienti pater, desumus est ex  
*Recessu Visitationis de Anno 1550.* §. 20. nisi quod  
 ultimus versiculus: Da aber solche außgangene  
*Promotoriales* hernach reproduciert, sollen keine  
*Process* erkannt werden, es seyen dann zugleich  
 auch die *Documenta Requisitionis* (oder *exequi-*  
*ter Promotorialium*) und *denegata Justitiae* fürge-  
 bracht, &c. de novo sit adjectus. Qui textus sanè  
 disjunctivè intelligi debet, ut scilicet vel documen-  
 tum insinuatarum Promotorialium vel requisitionis  
 una cum *Justitiae* denegatione in Camera produca-  
 tur, confer. *Denaif. tit. 71. §. 5. Koch. ad Ordin-*  
*nat. Cam. part. 2. tit. 26. num. 32. Tennagel. de de-*  
*cernend. Process. class. 3. cap. 15. num. 3. 4. ibi:*  
 „Quasi dicat *Recessus*, ut aut Promotoriales insi-  
 „nuatæ producantur, aut alias de requisitione &  
 „denegatione legitimè doceatur.

## §. 16.

Dicitat hanc interpretationem ipsa ratio corre-  
 sionem Ordinationis evitandi non solum, sed &  
*Promotorialium* origo, historiaque. Particula quip-  
 pe zugleich, vult conjungi cum voce *und*, ita ut  
 versiculus: *Oder exequi* *Promotorialium*, tan-  
 quam disjunctivus, ex natura verbi *oder*, per pa-  
 renthe-

*renthesin* interje<sup>c</sup>tus esse videatur. add. Notator  
Rodingii *Pandect.* *Fur. Cam.* lib. 1. tit. 15. §. 3.  
Blum. *Process. Cam.* tit. 37. §. 15. Schyvanian.  
*observat.* 170.

§. 17.

Quæ veritas & inde patescit, quod dictus  
§. 108. *Recess. Imper.* 1566. loquatur de *Requisi-*  
*tione super Austragis*, ibi: *Gegen derselben Wie-*  
*dertheil* &c. ubi notoriè alterutrum sufficit.

§. 18.

Neque in contrarium quidpiam facit *Recess.*  
*Deputat.* 1600. §. 27. aut *Recess. Noviss.* 1654.  
§. 163. cum uterque ad §. 108. *Recess. Imper.* de  
*Anno 1566.* se referat: quæque in illo de requisisi-  
tione super Austragis constituta erant, ad requisisi-  
tionem ordinariorum Judicium, more majoribus usi-  
tato, extendat; hincque pariter non nisi alternativè  
documentum vel insinuatarum Promotorialium, vel  
requisitionis denegationisque exigere dicendus sit,

§. 19.

Imò si memoratus §. 108. conjunctivè accipia-  
tur, se ipsum destruet, supplicantem in fine ad ean-  
dem impossibilitatem adigendo, à qua ipsum in prin-  
cipio liberare voluit.

C 3

§. 20.

## §. 20.

Hucusque dicta mirè illustrantur ex iis, quæ  
habet Roding. lib. 1. tit. 15. §. 27. ibi : „ Deputati  
„ approbarunt sententiam illorum Assessorum, qui  
„ statuebant, quod Promotoriales etiam in causa  
„ pendente effectum devolutivum habere debeant.  
„ Alii verò hanc appendicem addendam esse cen-  
„ suerunt: quod supplicans in causis pendentibus  
„ narrare, & docere debeat, daß ihm auf beschehe-  
„ nes fleißiges Anhalten, nicht wolle nach Gestalt  
„ und Gelegenheit der Ends Unter-Gerichts Ord-  
„ nung und Gewohnheit zu seinem Recht verhol-  
„ sen werden, vid. Conclus. Cam. 1595. dub. 9. &  
„ adject. Resolut. sub Lit. A. §. 4. Alii denique hâc  
„ appendice opus non esse judicarunt, quia Ordina-  
„ tio parte 2. tit. 26. ex justis causis constituisset,  
„ quod Promotorialibus proximo inferiori Judici se-  
„ mel insinuatis, supplicans non teneatur amplius  
„ de denegatâ aut protractâ Justitiâ docere. Itaque  
„ sine appendice Cameralium sententia approbata est:  
Ex quo evidenter elucescit, quæ mens sit sæpe fati  
§ vi. 27. Recessus Deputationis de Anno 1600.

## §. 21.

Quantum verò attinet Conceptum Ordinatio-  
nis Cameralis part. 2. tit. 28. ineptè compilatum sit,  
nec ne, parum refert; cum vi Legis destituatur,  
coque

eoque aliter non utamur, quam quousque cum fontibus suis conspirat.

§. 22.

Igitur firma manent hæc Juris nostri principia. **1**num. Quod antequam Promotoriales impetrantur, Judex inferior omnino requirendus sit, vid. Tennagel. *class. 3. cap. 15. num. 3.* Blum. *tit. 37. num. 13. in fin.* alias enim Promotoriales ipsæ per sub- & obreptionem impetrarentur. Sed hæc requisitio in ordine ad obtinendas Promotoriales solum narrari, non autem probari debet, vide *Recess. Visitat. 1550. §. 20.* **2**dum. Quod post insinuatas Promotoriales nulla requisitio ulterior exigatur, sed solus lapsus temporis, documentumque factæ insinuationis Promotorialium ad *præsumtivè* probandam apertam denegationem, dolosamve protractionem sufficiat. **3**tium. Requisitionem denique; & vel lapsum termini menstrui pandendis Judiciis præfixi, aut denegationem, si ejus rei probatio in promptu sit, per se solam, impetrandæ Citationi sufficere.

§. 23.

Nec est, quod ex *secundo membro* non requirendæ post insinuatas Promotoriales ulterioris requisitionis denegationisque, metuatur Judici inferiori fraudem fieri; si enim hic post insinuatas Promotoriales intraque terminum iis præfixum officio suo fece-

fecerit satis, idque supplicans, Cameræ subtricuerit,  
 editis actis id statim deprehendetur, hicque cum  
 processuum sumtuumque jaetura mox remittetur.  
 Quod ipsum sibi volunt verba §vi. 27. Recess. De-  
 putat. de Anno 1600. Doch soll denen Partheyen  
 keine Gefahrde gestattet werden; add. Roding.  
 lib. 1. tit. 15. §. 27. ibi: „Actor, si in narratis sup-  
 plicationis pro Citatione contra veritatem factum  
 proposuisset, id per acta edita statim deprehendi,  
 & causam primo quoque tempore remitti posse,  
 Actore in expensas omnes condemnato.

## §. 24

Illud verò prorsus extra dubium est: *Processus*  
*super denegata vel protracta Justitia non aliter in*  
*Camera decerni, nisi ea sit proxima, vel intermedius*  
*etiam cesseret, Denais. tit. 171. §. 3.* Ergò nec *Promo-*  
*toriales aliter decernentur.* Pariterque sicut *Citatio*  
*super denegata protractave Justitia non impetratur,*  
*nisi ubi causa ratione qualitatis talis fuerit, de qua*  
*Camera cognoscere possit, vid. de Ludolf de Jure*  
*Camerali sect. 2. §. 3. num. 9. pag. 190.* ita nec *Promo-*  
*toriales aliter decernuntur: sed Mandatis de ad-*  
*ministranda Justitia tunc locus est, Blum. tit. 37.*  
*num. 30.* generaliter quippe de Promotorialibus hæc  
 tenenda est regula: *Quod cum sint modis devol-*  
*vendi causam ad Cameram, ista toties locum non ha-*  
*beant,*

beant, quoties illa ratione qualitatis devolvi non potest, & contra. Quantitatis verò nulla hic habetur ratio; eo quod nec Summa Ordinationis, nec ullum Privilegium de non appellando obster, quo minus lis ex capite denegatae vel protractae Justitiae ad Cameram devolvatur, idèque nec Promotorialibus decernendis obstatre possit.

## §. 25.

Quin potius notò notius est: olim *Summam appellabilem ad solas Appellationes restrictam* fuisse, ac posterioribus demum Legislationibus ad causas *Nullitatum principaliter deductarum, & Restitutionis in integrum in specie per Recessum Imperii de Anno 1570.* §. 69. extensam esse. Quod cum ratione denegatae vel protractae Justitiae non æquè contigerit, meritò Juri veteri inhæremus, & sic quoque praxis servat.

## §. 26.

De cæterò sicuti actus aliqui singulares, ad quos Camera Commissarios dedit, in Camera expediiri non possunt, ita contra hos neque Promotorialibus locus erit, sive ii Commissionem suscipere detrectent, sive postea Justitiam protrahant denegentve: Cum isthoc casu objectum tale subsit, quod naturâ suâ ad Cameram devolvi non possit. Aliâ itaque viâ Supplicanti consulendum erit. Prodita sunt hanc in

D

rem

rem *Mandata de administranda Justitia, & subin-*  
*alios Commissarios petendi facultas.*

## §. 27.

Quod verò ajunt, in *causis voluntariae Juris-*  
*dictionis* Promotoriales non decerni, generaliter ve-  
 rum non est, nec à Blumio dict. tit. 37. num. 31.  
 per *Autorem Prajudiciorum* probatur ; iste enim  
 agit de casu, quo quis supplicavit pro Attestato sei-  
 nes *Wohlverhalten*, speciesque fuit hæc : Zolen  
 petiit illud à Magistratu Oppiduli Hirnfeld, hic  
 eum remisit ad Superiorem, ille rursùs ad Inferio-  
 rem, tandem in Camera supplicavit pro Promoto-  
 rialibus, & hæc denegabantur ; Ideò sine dubio,  
 quia Cameræ constare non poterat von seinem  
*Wohlverhalten*. Sed quid inde ? & anne ex hoc  
 exemplō generalis formabitur regula : *quod Promo-*  
*toriales in omnibus causis voluntariae Jurisdictionis*  
*cessent* ? non sanè ! sed quemadmodum quasdam  
*causas voluntariae Jurisdictionis* Deckherrus ad  
 Limbach. in *Process. Informat. cap. 1. num. 7.* Ca-  
 meræ Imperiali vindicavit, ita in *bis speciebus Ju-*  
*dice inferiore officium suum denegante protrahen-*  
*teve*, causam per Promotoriales ad Cameram de-  
 volvi, nil est quod impedit ! eo quod hacte-  
 nus, *ratione qualitatis Cameræ Jurisdicio exclusa*  
 non sit.

## §. 28.

## §. 28.

Illud denique quod de *Decretis protractoriis* hucusque dictum est, de iis intelligi debet, *qua nihil præjudicij circa litem principalem faciunt*; nam si huic præjudicent, non per *Promotoriales*, sed alia via (*Appellatione nempe*) consulendum est caue, vid. *Mev. part. 2. decis. III.*

## §. 29.

Porro *Promotoriales* regulariter decernuntur *contra Judicem*, non *contra Partem*, vide *Lyncker. de Gravam. extrajudic. cap. 3. part. 2. num. 8.* *unica exceptio est in Recessu Visitationis 1550. §. 20.* quæ ad *materiam Austragiarum* pertinet. *Rœna* quidem *Promotorialibus* non *inseritur*, sed *termino* sine *Justitiæ administratione elapsò*, *causa ad Cameram devolvitur, quocunque ea sit statu, Recess. Deputat. 1600. §. 27.*

## §. 30.

Itaque per *Nuncium* vel *Notarium immatriculatum insinuatis*, & *judicialiter* *reproductis Promotorialibus*, (*formulam* vide *apud Roding. lib. 1. tit. 15. §. 14.*) *termino*que *effluxo*, *Citatio in Camera* *decernitur*, *pro qua extra judicialiter suppli- candum est*, *Roding. lib. 3. tit. 12. §. 17. Blum. dict. tit. 37. num. 33.* *Eâ verò decretâ, reliquus processus ordinario tramite* *decurrit*.

D 2

§. 31.

## §. 31.

Quæsitum est, quid juris sit : si quis neque requisitionem lapsumque termini legalis doceret, neque Promotoriales peteret, sed *Furamentum Perhorrescentiae* præstare veller, statimque pro Citatione in causa principali supplicaret ? vid. Deckher. ad *Tennagel. class. 2. cap. 14.* qui idem *class. 3. cap. 13.* censet, causam ideo non statim in Camera recipi, sed demum prævia Citatione contra Judicem inferiorem ad videndum deduci causas legitimæ suspicionis, eaque propter avocari &c. Hujusque præjudicialis puncti decisionem primum insequuntur alterum Citationis processum contra partem. Ast hoc remedium, planè diversum esse à themate præsentis tituli, quis non videt ? utut de reliquo nemini dengandum veniat, vid. Blum. *tit. 37. num. 19. § 20.*

## §. 32.

Mandata denique de administranda Justitia, sunt qui magis commendent, quam processum ex *part. 2. tit. 26. Ordinat. Cam.* Nos quidem fatemur, ea necessaria omnino esse quotiescumque causa ratione qualitatis ad Cameram devolvi non potest. Sed extra hunc casum : male sibi consulet pars coram denegante protrahenteve Judice telam judiciam invita minarya inire volens ; effectum verò devolutivum post multas Literarum Informatoriarum,

rum, Mandatorumque ulteriorum ambages, de-  
mum obtinebit; neque hoc ex natura Mandati,  
sed ex constitutione de protracta denegataque Justi-  
tia fiet.

§. 33.

Quod verò Mandata de administranda Justi-  
tia semper cum clausula decerni assérit Blum. *dict.*  
*tit. 37. num. 35.* falsum est, vid. Frider. Mindan. *de Process. lib. 2. tit. 53. num. 5. circa finem.*

§. 34.

Cætera, quæ Blumius de Mandatis de admi-  
nistranda Justitia, item de Mandatis de Exequendo,  
huic titulo immiscet, ad titulum specialem, ubi de  
Mandatis agitur, spectant; quæ autem Austrægas  
concernunt, commodius sub propria sua rubrica,  
quam hic quidem, traduntur.

§. 35.

Abominandum verò est illud assertum Blumii  
*dict. tit. 37. num. 40.* quasi Jure communi ob de-  
negatam Justitiam Repressaliæ concederentur: cum  
*Recessus Imperii de Anno 1570. §. 84.* universaliter  
enunciet: *Dass die Repressalien im Rechten verbot-  
ten seyen,* add. Mascov. *Jur. Publ. lib. 6. cap. 4. §. 4.*  
indeque eas in Imperio Germanico nequidem ob  
protractam denegataimve Justitiam permissas esse  
pateat.

D 3

§. 36.

§. 36.

Pro coronide monemus, Citationem super protracta denegatave Justitia iterum cassandam esse:

*Primò.* Ubi ab adversa parte probatum fuerit, Supplicantem nequidem ante impetrationem Promotorialium Judicem inferiorem pro administranda Justitia requisivisse.

*Secundo.* Quamprimum apparuerit per ipsum Supplicantem stetisse, quo minus intra terminum præfixum Justitia redderetur.

*Tertiò.* Quoties ex actis editis manifestum fuerit, Judicem processisse, idque Supplicantem in Camera dolosè reticuisse.

*Quartò.* Multo magis idem fieri debere, quando de falsitate Instrumenti Notarialis requisitionem denegationemque attestantis constiterit; de quo aliquando conquestos esse Status apud de Ludolf *Jur. Camer. Append. I. pag. 6.* videre licet.

*Quintò.* Prout Promotoriales nunquam decernendæ sunt, ubi Supplicans nequidem narraverit antecedanè requisitionem factam esse; ita ob hunc defectum tam ipsas Promotoriales sub- & obreptitiè impetratas, quam insecuram Citationem corruere.

§. 37.

Dictum est hucusque satis de Promotorialibus,  
tan-

tanquam medio præsumtivè probandi denegationem protractionemque; quomodo verò in ordine ad obtainendam illicò Citationem pròbetur denegatio vel protractio, item requisitio lapsum mensis præcedens, (de quo Lyncker. *de Gravam. extra-judicial. cap. 3. part. 2. sect. 1. membr. 1. §. 1.* junct. *cap. 5. sect. 1. §. 4.* ex professo disputat) idèò multis referre supersedemus, quia hæc materia partim ex doctrina generali de probationibus petenda est, partim ex traditis Doctorum de probanda requisitione super Austrægis, lucem suam fæneratur, vid. Deckher. *Vindic. tit. 27. num. 62.* 63. & Blum. *b. l.* quæ huc eo magis applicanda veniunt, quo certius est, requisitiones super Austrægis, cum requisitionibus quorumcunque ordinariorum Judicium, ex mente verbisque Legum nostrarum pari jure censerii.

### §. 38.

Quocirca etiam, sicuti in materia Austrægarum nonnunquam consultum est, protractionem Justitiæ per ipsa edita acta probare, eumque in finem Compulsoriales in Camera petere, vid. Deckher. *Vindic. tit. 27. num. 197.* ita pariter protractio reliquorum ordinariorum Judicium hac ratione demonstrabitur.

### §. 39.

## §. 39.

Denique quod ultra clarum tenorem Legum Cameralium Judicibus inferioribus planè nihil ultrius indulgendum, sed lapso termino vel legali, vel per Promotoriales præfixo simpliciter causa in Camera recipienda sit, non ea solum juris nostri ratione ntitur, quod Legislator hunc lapsum pro modo præsumtivè denegationem protractionemve probandi induxit: verum etiam ex eo provenit, quod Reges Germaniæ, olim indistinctè concurrentem Jurisdictionem cum Statibus habuerint, electivèque vel horum Tribunalia, vel Cæsaris Judicia in prima Instantia adire licuerit; idèque effluxo tempore privativæ Statuum Jurisdictioni præfixo, his nullum omnino Jus supersit: sed omne, Jurisdictioni Cæsareæ (cujus custos vindicque Cameræ est) tribui debeat.

## T A N T U M.

Pag. 18. lin. 13. del. Quod. & pag. 20. lin. 13. leg. tit. 171.







Ko1761<sup>h</sup>

VD18


ULB Halle  
007 530 390

3





B.I.G.



21 2 84.10  
TRACTATUS  
JURIS CAMERALIS,  
DE  
CAUSARUM DEVO-  
LUTIONE AD CAMERAM  
IMPERIALEM OB DENEGATAM  
VEL PROTRACTAM A PROXIMO JU-  
DICE JUSTITIAM,  
*Vorfr.* *da R. F. M. v. Borie*  
NEC NON *de*  
DE  
LITERIS PROMOTO-  
RIALIBUS.  
AD PART. II. TIT. XXVI. ORDINAT.  
CAMER. VETER.

PRÆFATIO DE PUNIENDO  
INSUPER JUDICE JUSTITIAM DE-  
NEGANTE, VEL PROTRAHENTE  
DISSERIT.

WETZLARIE,  
Typis NICOLAI LUDOVICI WINCKLERI.  
ANNO MDCCXLV.

